

C. D. M.

DISQVISITIO PHILOLOGICA

De

SACRIS JUDÆO-
RUM VINCULIS,

Ubi

in specie

De

VOTO JEPHTÆ

Jud. 11, 30. seqq.

Præfixâ repetitione eorum, quæ

De

STATUA SALIS

Gen. 19, 26.

&

SCYPHO JOSEPHI

Gen. 44, 5.

antehac publicè discussa.

*Placidam autem, consentiente ita Ampl. Facultate Philosophicâ,
cum Eruditis Viris - Juvenibus συζητησιν*

ad d. 19. Septembr.

Instituet Valecturus

PRÆSES

M. MICHAEL CHRISTIANUS Zieroff/

Nordhusanus

RESPONDENTE

JUSTO-CHRISTOPHORO UDENIO, Mündensi-Saxone.

JENÆ, Typis JOHANNIS NISII, M. DC. LVII.

10

a. CXXII. 13.

diss. A
2, 15

DISSERTATIO THEOLOGICA

SACRIS LITURGIIS
RUM VINCIIS

III
in thec

VOTO PERHITA

per hanc actionem colligitur

STATUTA SALLI



SEPTIMO QUESITIO

M. MICHAEL CHRISTIANUS ZIEGLER

INSTITUTIONES THEOLOGICAE

III

AD
Humanissimum & Præstantissimum
Dn. JUSTUM CHRISTOPHORUM UDE-
NIUM, Mündensem Saxonem,

De
STATUA SALIS; SCYPHO JOSEPHI
& VOTO JEPHTE,
disputanti.

DUM TIBI quid valeant humerū, quid ferre
reculent,

Vifurus, cathedram scandis, *Amice*, novam:
Comprecor ut STATUAM videas *salis*, atq; *Decoris*
Multiplicis, VOTO, conveniatq; SCYPHUS!

*Benevolentia testandæ causâ
faciebat.*

Christianus Chemnitius, D. P. P.

Pastor & Superintendens, h. t. Fa-
cult. Theol. Decanus.

Was heist nicht sterblich seyn/ wenn man den Sinn ent-
fernet

Von dem/ was sterblich ist/ Ich meyne/ wer was lernet

Von wohlgeübter Kunst. Wer an der Erden klebt/

Und nur im Sündenwust/ in Müßiggehen lebt/

Wie sonst ein Tügenicht/ der wird hier nicht geachtet/

Ja nach dem Tode wird sein Name nicht betrachtet.

Die Musen haltens so/ sie zieren ihren Mann/

Sie heben von der Erd' ihn an die Sternenbahn.

Dieses setzte dem Herrn Antwortenden zu Ehren

M. Zieroff.

Præ-

Præstantissimo & Literatissimo
DN. JUSTO CHRISTOPHORO
UDENIO,

in

PHILOLOGICIS

disputanti

CONSCENDENS cathedram, dic, quid tractabis?
UDENI!

VOTA, SCYPHUM, STATUAM: mira videntur ea.
Jephte facit VOTUM, natam mactare tenetur,
Voverat ut voto, solvere vota nequit.

Obtulit inde SCYPHUM Joseph, pro more vetusto
Quô poterat felix augurium capere.

Respiciens Lothi convertitur ipsa marita

IN STATUAM nitidam, sic moderante Deo.

VOTA, SCYPHUM, STATUAM, mala, falsum, mente
Carentem,

Desere, sperne, fuga, pectore, corde, manu.

*Amico suo suavissimo & συνοικω̄ optatissimo
affectus testandi causa*

scribebat

M. Daniel Bamberg.

1711

1711



PRÆFAMEN.



Uis se viduatam conqueritur cultoribus divina Philologia. Hic Mercurialis seculi genius est. Grammatici volitant velut umbra. Ast benè est. Erigas Te paulisper, nec Tibi quicquam metuas. Habes Adstites Fautores egregios, nec paucos. Beatum me prædicarem, si filius locupletissimæ audirem Philologiæ. Concedatur modò, servus ut saluter minimus. Olim etiam solum nonnunquam juvencum vel oviculam ad Deorum offerebant delubra. Non curant omnes hecatombæ. Voluntas est,

Quæ facit, ut pauper veniat quoque gratus ad aras,

Et placeat casâ non minus agna bove.

Animum inde mihi sumsi, ut eodem, quò ex benivolo Amplissimæ Facultatis Philosophicæ suffragiò & concessione disputationum qualium qualium, Philologicarum sc. genere ante quosdam annos heic loci primitias offerre indignissimo mihi integrum fuit, eodem, inquam, Jenæ alteri meæ Patriæ, quæ hæctenus infinitis me or-

A

navit

CVC.I

navit beneficiis valedicturus, concluderem. Fe-
stinanti autem suborta fuit quæstio DE VOTO
JEPHTÆ intricatissima, cujus elubricatio non
unum desiderare videtur diem. Exactiorem
considerationem invadebat temporis penuria.
Quæ ergò vel ultrò se obtulere, sint præsentia.
Unum est, quod submissè & officiosè, me inter-
prete, rogant pagellæ, ut Censorum habeant
æquitatem. Quæ proferunt, proferunt citra al-
terius præjudicium. Salva maneat virorum dif-
sentientium vel ἑπεχόντων autoritas. Propterea
etiam Autorum mentio crebrior est omissa. Lau-
dantur ab ingenio informationis cupido in casu
controverso rationes, quæ videntur probabilio-
res. Non vituperantur, qui oppositâ incedunt
viâ. Sint ergò reiteratæ preces: sint Lectores be-
nivolii, sint iudices æqui. Sed & Philologemata DE
STATUA SALIS & SCYPHO JOSEPHI anno 4. pu-
blicè disputata hæc repetita & præposita cernun-
tur, partim ut compleantur pagellæ, partim ut
quorundam propter distracta Exemplaria di-
ctam materiam cupientium satisfiat voto. Id
quod etiam in meliorem accipietur partem.

Sit ergò cum D. M.

י. ע. י.

I. נציב מלה:
Statua Salis, in quam uxor Loti conversa,
Ex Gen. 19, 26.

I.

Calamus semel est arreptus. Eum è manibus haud excutiet nec à proposito nos dimovebit uxor, de cuius conversione agere suscepimus, nominis ignoratio. Sive vocitata fuerit *Titean*, ut *Beroso* placet, sive *Aretia* ab $\chi \text{ } \aleph$ *Terra*, nos parùm curamus.

2. Nec diu investigando tempori immorabimur. Sufficiat cum *Dressero Isag. Histor. part. 3. millen. 3. p. m. 724.* dicere, metamorphosin istam contigisse millenariò tertiò à C. M. haud multò post institutam A. M. 2048. circumcissionem.

3. Veram ac substantialem fuisse mutationem sive conversionem haud inmeritò cum *Jac. Bonfr. Comm. in b. l. p. 215.* statuunt alii cordati. Cui explicationi maximè etiam favet clarus textus, à cuius verborum perspicuitate citra necessitatem ad sensum aliquem improprium deflectendum haud esse, svadent superioris *Cathedrae* viri.

4. Ita, ut dictum, procul dubio est. Quamvis de modo conversionis forsàn major sit dubitatio. Si è *R. A. ben Esra* iudicio nobis standum, possemus dicere, pluviam descendisse igneam sulphure & falsilagine mixtam, mulieremque accendisse, quæ sic corpore intra salem exanimatò riguerit. In subsidium iste vocat *Deut. 29, 23.* ubi dicitur DEUS combussisse terram sulphure & salis ardore. Verùm hâc ratione improprie dicta adstrueretur

conversio, quâ solummodo corpus intra salem solidatum & duratum, quô antea fluxô ac liquidô deplente rectum fuerit, riguisse, non autem conversum fuisse dicitur: cui tamen §. antec. longum valediximus. Fundamentum, quod l. c. quærit, infirmô stat talô. Consulturê enim Commentatores, hoc ab iis feremus responsi, comburi terram salis ardore, quando ea solis æstibus torrida & exusta sulphureum & sulfugineum saporem refert. *Conf. Psal. 106, 34.* Aliis proinde magis ad palatum, dicere, quicquid humorum sulfugineorum v.g. sudoris, lachrymarum, phlegmatis, sputi in ea fuerit, à Deo fuisse collectum inque totam ejus substantiam traductum, & illud ita infecisse, ut penitus in salem transformatum fuerit. Ita *B. Aug.* Nos hâc in parte ἐπέχομερ.

5. Cum autem §. 3. Uxoris substantialem conversionem asseruerimus, posset alicui scrupulus suboriri, an totius intellexerimus substantiæ conversionem, & ita etiam animam in salem mutatam statuerimus. Nemo id nobis affingat. Nec enim necesse est hoc asserere, neque ullam habet verisimilitudinem. Quicquid sit de eo, quod divinâ potentiâ fieri non repugnet, ut substantia incorporea substantialiter vertatur in corpoream.

6. Figuram consideraturis sistuntur nonnulli, qui vocem **צִיָּוָה** explicant per *cumulum*, intelligentes molem informem; nonnulli per *columnam*, eò, quòd *Sap. 30, 7.* ubi *Vulg.* habet *figmentum salis*, in *Gr.* uti & h. l. occurrat *σύλη αἰλὸς columna salis*. Sit ita, **צִיָּוָה** significare *cumulum*; at non statim rudem, informem & indigestum: nec enim negandum, quin **צִיָּוָה** optimè possit reddi per *statuam* & molem figuratam. Unde & *Targum* reddidit per **צִיָּוָה** *statuam*, & *Orig.* per *staculum salis*. Sit & hoc, *σύλη* signi-

significare *columnam*: quid inconueniens est dicere, etiam per statuam verti posse? Imò & statuam in pedes erectam dici posse columnam, nihil absurdum videtur *Bonfr. l. c.* Per נציב מלח proinde qui intelligit veram muliebrem statuam certâ figurâ manuum & pedum præditam, adeò absurdus, nostrò quidem iudiciolò, haud est, ut nigrum mereatur theta.

7. Haud immeritò miramur eos, qui sermonis proprietatem deserentes per מלח non sale propriè dictum sed perpetuitatis signum notari asserunt, נציב מלח reddendo non per statuam salis propriè dicti, siue quæ ex vero sale concreverit; sed per statuam & monumentum perpetuò mansurum, eò significandi modo, quem vocem salis in sacro codice sæpè sortiri in propatulo est. Ita *Bodin. l. 5. de Rep. c. ult. cui & Vatablus concinit* vertens: *versa est in statuam perpetuam.* Nulli significatum illum nos inficias imus. Novimus explicando foederi salis ברית מלח עולם *Salsbund 2. Paral. 13, 5. & LXX. αἰώνιον Luth. ein unverwesentlich Bund / Num. 18, 19.* solere ab Interpp. afferri hanc rationem, ideò nempe ita dici, ad legis divinitus latæ perpetuam notandam firmitatem. Res enim domestica sufficientissimè nos instruit, sale à cibis putredinem arceri, ne infatuentur. Docent id sale durati pisces, docent carnes taurinæ, suillæ aliæque fallitæ, quas, dum humiditas superflua sale absumitur, à putredine immunes habemus. Nec latet, cum apud Judæos, tum apud Paganos foedera interventu sacrificii falliti percussa, consimilem ob causam. Mirari enim sinit, quos accuratos ritus vel soli *Romani* in sanciendo foederibus observaverint, ut iis velut vinculo fides rectius servaretur & perjury vitarentur; ut haud immeritò de Re-

gibus Christianis, foedera jurejurando per veri DEI no-
men firmata, tam flocci facientibus, vel levisimâ de cau-
sâ negligentibus, habeat, quod conqueratur *Camer. Cen-
tur. 2. med. hist. c. 78.* Quid vero sit, quod à literâ clarâ nos
recedere cogat, haud video. Insistimus eidem, donec ur-
gentissima discedendi proferatur ratio.

8. Ut verò de veritate salis statuae nostrae confirmati
sumus; ita incertiores paulò sumus, qualem fuisse salis
speciem asserere debeamus. Variæ (quod notum est)
dantur salis species: offert sese I. nativus vel fossilis, qui
vel in terrâ vel extra terram. E terrâ coeditur: Ammo-
niacus vel Cyrenaicus, qui sub arenâ Lybiae ardentissimâ
in Cyrenaica effossus saporem refert amarum, & tantum
quidem, ut gustui minus, ac alia salis species, gratus sit,
& propterea magis medicinae adhibitus. Sistit se sal nitri
vel petrosus, qui in humidis terrae visceribus ex humore
coagulatio genitus & instar frigoris congelati in parieti-
bus nitens maximam vim habet exsiccandi, calefacien-
di & penetrandi, unde etiam pulverem pyrium ingredi
dicitur. Datur sal Indicus, qui nigricans vel subrufus in
Indiâ ex monte Oremeno exciditur. Reperitur sal gem-
mæ, qui candidissimus instar Chrystalli. Extra terram
colligitur sal, qui salutatur aquatilis, & est vel fluvialis,
quando fluvius ex montibus propinquis fert ramenta,
quæ in salem densantur, vel ejus terra in salem consoli-
dantur, amne reliquo veluti sub gelu fluente: vel stagna-
lis, à stagnis vel sale æstuantibus vel in salem durantibus
nuncupatus: vel fortassis, dictus à fontibus vel salem fe-
rentibus, vel illorum rivulis igneò solis æstu siccatis, in
salem conversis. II. Factitius vel coctus, qui ex aqua sal-
sa maris aut lacuum, vel ex nativâ fontium peculiarium
mur-

murciâ, solâ ignis coctione paratur. Ferriè sibi hâc in parte vendicat primas nostra Germania, in qua, si ab aliis abscesserimus, celeberrimæ sunt salinæ *Lüneburgensis, Hala Svevica, Hala Saxonum, Francohusana, Sultzense*, in hâcce viciniâ &c. Si fides aliis adhibenda, & una ex prædictis speciebus eligenda, haut ita absurdi essemus, si quàm proximè ad ultimam accessisse dixerim9 speciem salis nativi, quem instar crysalli lucere diximus.

9. Tempus durationis quod attinet, potest videri *Josephus, qui l. 5. ant. Jud. c. 19. edit. Lugd. anno 1555 Interpr. Sigism. Gelenio*, expressè asserit, statuam istam adhuc suo extitisse tempore. Imò nonnemo hoc posteriore ævô adhuc extare scribit inter montem Engaddi & mare mortuum, seque visendi causâ locum adire voluisse; sed per difficultates & pericula prohibitū esse. Imò *Targ. Hier.* usque ad diem judicii, sive usque *ad tempus resurrectionis* (uti verba habent) *quò mortui reviviscant*, duraturam eam statuit. Quid, quod tantô cum miraculô à quibusdam adhuc extare asseratur, ut & quantum à gregibus lambendo deglutiatur, vel à curiosulis viatoribus, illac transeuntibus, defringatur, tantundem brevi iterum succrescat? *Hinc Tert. de eadem:*

Quin etiam si quis mutilaverit advena formam,

Protinus ex sese suggestu vulnera complet.

Id verò, quod

dicitur & vivens aliò jam corpore sexus.

Munificò solitò disjungere sanguine menses,

fabulam redolet quàm egregiè.

10. Ex hisce duo elicimus *mejōmatæ*: I. *Salem hunc in lapidis morem fuisse duratum.* Gemina huic rei in scenam vice testimoniū producere libet. De sale lapideo &

me-

metallico, falisque montibus, quos specularium lapidum modo coederent, inter alios narravere *Plin. Strabo, A. Gellius*, & quem *Plinii* transcriptorem, simiam & furunculum passim appellant, *Jul. Solinus*, qui celebrant falis montes nativos, falis proventu adeo uberes, ut & exinde ferro coedatur, ceu lapis renascens in agris. Ex praedictis laudatus *Plinius l. 31. H. N. c. 7.* Sitit nobis *Oromenum*, Indiae montem, de quo tantam falis subinde renascentis copiam coedi meminit, ut & Regibus majus ex eo vectigal capere, quam ex auro & margaritis detur. Eidem egregie laudatur mons in *Hispania* citeriore, *Egelastra*, ex quo sal coeditur glebis paene translucentibus. Alium terrae *Sophitis* sales toti sufficientes Indiae prominentem montem producit *Strabo l. 15. Geogr.* Ex traditione *M. Catonis*, cujusdam in *Hispania* Alpibus circa *Iberum*, merito sale constantis, ex quo quantum demtum fuerit, tantum iterum accrescat, mentionem fecit *A. Gell. N. A. l. 2. c. 22.* Tales quoque in *Africa* reperiri testem habemus *Solinum Polyhist. c. 31.* Referamne *Tartariae* provinciam *Taicam*, quae candidissimum quidem colore salera coedentibus suppeditat, tanta tamen praeditum durtie, ut ferreis malleis e montibus extundere incolae necessum habeant? Quid dicam de ingentibus e sale saxis in scopulorum morem enatis in orbe novo circa littora *S. Michaëlis*? Quid de petris falis maximis in *Ungaria* & *Polonia* visundis? Posteritatem in admirationem ferme rapit, quod ei *Petrus Petrejus part. 1. histor. Moscov.* reliquit, duobus miliaribus ab *Astracan*o, urbe *Tartariae*, non procul a *Volga* flumine, duos ingentes falis extare montes, quos incolae *Busin* salutent, qui tantam nivei & marmorei ostendant falis copiam, ut, licet vel hominum

3000. quotidiè massas illi9 inde cœderent, tamen ne minima quidem pars à tam immensa mole detracta ulli esse videatur, imò quò plus de dictò sale auferatur, eò majore quantitate recrescere, ut per integrum annum sufficiat toti *Medorum, Persarum, Armeniorum, Tartarorum, & Russorum* regionibus. Nulli proinde dubitamus, quin ab omnibus hoc nobis concedatur, nos non destitui similibus exemplis assertum superius datum non nihil comprobantibus. *II. Salem, de quò nobis sermo, ita fuisse duratum, ut nullâ pluviâ, tempestate nullâ liquefieri aut disturbari potuerit.* Id quod carmine ita expressit *Tert.*

Durat adhuc etenim nudâ statione sub æthram,

Nec pluviis dilapsa situ nec diruta ventis.

Neque enim omnem salis speciem superfusô humidô liquefieri, si credimus Autoribus, in propatulo est. Prodicant inter alios *Plin. & Sol.* qui ex prædictis salis lapidib9 ædes extructas expressè asserunt, quas aquâ ferruminari scribit *Plin.* tantùm abest, ut eâ colliquescant. Incolæ talium fuerunt *Hammanniontes, Africæ populi,* ut & qui *Calabriam & Pannoniam* inhabitant. Imò fertur moneta ex sale confecta in Provinciâ *Caniclu,* magno *Cham* subjecta. Refert idem *Plin.* apud *Uticam* acervos reperiri salis, ad collium speciem, qui ubi sole lunâve induruêre, nullô liquefiant humore, vixque etiam ferrô cœdi possint.

II. Jam ad alia progredimur, inquirentes punitio- nis, cui obnoxia fuit *Lothi* uxor, causam. Certum est, eandem fuisse inobedientiam, dum nempè contra monitum Angelorum, retrospexit, ex incredulitate ortam. *Conf. Sap. 10, 7.* Dicis, mandatum fuisse individuale ad *Lothum* modò directum, propter adhibitum numerum

B

uni-

unitatis. Resp. tales locutiones in scriptura haud esse infrequentes. Præterea non ad solum Lothum fuisse directum, comprobatur eventus. *vid. B. Gerh. Comm. in Gen. h. l. p. m. 394.* Sicut ex eodem eventu apparet, interdictum illud vel præceptum de non retrospiciendo malè à quibusdam trahi ad locutionem quandam impropriam, quasi hoc innuatur: ne respicias i. e. ne te poeniteat instituti tui, qualis loquendi formula occurrit *Luc. 9, 62, nemo mittens manum ad aratrum & respiciens in ea, quæ retrò, aptus est regno DEI.* Propriam acceptionem confirmat, inquam, poena uxoris.

12. De causa dati præcepti etiam disquiri solet. Et forsitan plures possunt concurrere causæ. Potest adduci obedientiæ probatio, Sodomitarum, gentis DEO exosa & exitio devotæ, aspectu & commiseratione indignæ, detestatio, fugæ festinatio. Genuinam tamen prohibitionis causam in eo ponit *Rivetius in h. l. quod DEUS voverit Lothi & suorum animum abducere ab omni cogitatione pristinae habitationis, & monere, salutis & vitæ curam potiore esse omnibus, quæ in Sodoma reliquerint; præmonuisse ergò DEUM putat, ne retrospicientes eò redire intenderent, unde miraculosè excesserant, & ita terrenorum cupiditate beneficium amitterent divinum.* Sed de his alii. Hoc addimus, malè à quibusdam verti *trò post se*, post ipsum scil. maritum, cum ponè eum sequeretur. Potest sanè, fatemur, primâ fronte dubium movere artic. Ebræus, an vertendus sit post se, an post ipsum; verùm si attendatur prohibitio suprâ v. 17. facta, quæ volebat, ne quis respiceret post tergum sc. suum, non alterius, omnis expirabit dubitatio. Rectè hoc annotavit *Jac. Bonfr. Comment. in h. l. p. 215.*

13. Cau-

13. Causam, cur retrospexerit, quæris. Nonnulli hoc tribuunt igneæ & sulphureæ pluvie strepitui & per-euntium clamori, quô excitatô retrospexerit. Alii timo-ri, ne ipsa quoque incendiô corriperetur. Alii curiosita-ti. *Moses* verò & *Christus* præpostero terrenorum deside-rio. *vid. B. Gerh. comm. in b. l.*

14. Cur in salem potius, quàm aliam quamvis ma-teriam fuerit conversa, fatemur, haud ita facile esse ex-plicatu, quin imò præter solam DEI voluntatem soli-dam quandam assignari posse rationem haud videmus. Rationem Ebræorum utpote ridiculam & falsam, suis relinquimus Autoribus vel excogitatoribus. Fingunt isti, pridie in cœna *Lotho* roganti salem ad ciborum con-dimentum uxorem, utpote hospitalitatem averfantem, dare noluisse. Putant proinde hæc ratione poenã respon-disse peccato. Probabiles solent afferri rationes, sed mo-rales ferè: v. g. i. quantum ad conversionem in salem: ut cognoscamus huic mulieri defuisse sapientiã, cujus sym-bolum sal, quam sapientiam maximè in credendo & o-bediendo consistere sacra nos docet pagina, nosque ejus exemplô, ceu condimentô, sapere discamus. *Vid. Nicol. de Lyra in b. l.* Et sanè adeò absurda hæc allegoria haud videtur, cùm ex aliis locis parallelis, imò multis autori-tatibus & ritibus profanis, sat abundè constet, salem pro signo sapientiæ adhibitũ. Forsan hoc est, quod Servator hocce suos insignit titulô Discipulos, dicitque *Matth. 5, 13. vos estis sũs salis terræ*, ubi procul dubiô vis metapho-ræ in hoc consistit, Apostolis incumbere, ut saliant & condiant homines terrenos, qui voce *ũs salis terræ* per meton-continens pro contentô veniunt, ceu quôdam sale, doctrinæ coelestis puritate, vitæq; innocentis laude. Iis,

qui in Musarum castra primò recipiuntur, salem Sapien-
tiæ, ut vocant, in ritu Depositionis Academicæ adhiberi
novimus omnes, additis seriis monitis, ut illi, quos dixi-
mus, sacris nostris initiati, de lenificis vitiorum illecebris
procul habitis, sapientiam veram, licet interdum aditu
difficilem & amaram, unicè sectantes, non ad Vacunæ
& Murciae focos desides jaceant; sed cum in literaturâ,
tum in morum cultura acres & alacres se gerant. 2. quan-
tum ad conversionem in statuam; ut per noscamus pœ-
nam, insequentem eos, qui arreptò semel bonæ frugis
propositò retrò respiciunt, & pœnitundine ducti refili-
unt: sæpè enim accidit, ut in statuam durentur, h. e. fiant
insensibiles &c. Ita loquitur *Bonfr. l. c.* Noti sunt ver-
sus *Aurel. Prud.*

*Nemo memor Sodoma, quæ mundi forma cremandi est,
Ut semel è muris pressum promoverit, ore
Post tergum versò respectet funera rerum.*

15. Unicum hoc addimus. Gentiles, quæ eorundem
est *καροζήλια*, pro uxore *Lothi* suam substituisse *Nioben*,
Tantalo & *Euryanassa* prognatam, multis putantur. Pe-
perisse ista fertur, de communiore sententiâ, 7. mares &
7. foeminas, ob quorum præstantiam magnopere inflata
persensit coedem eorundem masculorum à *Phæbo*, foe-
mellarum à *Dianâ* unò die factam, quâ filiorum morte
visâ eam è Thebis in Sipyllum contendisse & Deorum
miseratione, cum tantam doloris magnitudinem per-
ferre non posset, in saxum conversam ajunt. Quare scri-
psit *Pausanias* in *Atticis*, referente *Nat. Com. Mythol. l. 6.*
c. 13. p. m. 605. hujus imaginem sili cent ac præruptam cre-
pidinem in Sipylo fuisse, quæ quasi ad opticam ratio-
nem excisa, propè existenti neque lugentis, neque mulie-
ris

ris

ris quidem formam præ se ferret: at procul existentibus
& mulier, & mœsta lugensque videretur. *Hinc Ovid. in
epist. Acontii:*

*Quæq; superba parens saxo per corpus abortô
Nunc quoq; Mygdonia flebilis astat humo.*

II.

גביע יוסף:

Scyphus Josephi, quô augurari solitus,

Ex Gen. 44, 5.

I.

SCyphus iste in fonte dicitur גביע אבנא unde גביע *mon-*
ticulus, collis, fortè ideò, quòd signis prominentibus,
quasi colliculis, esset asperior. LXX. κένδυ, quod est scy-
phi vel poculi genus, cuius *Jac. Bonfr. in h. l. Hesychium*
& *Athenæum* meminisse annotat: cui & detracta syllaba
videtur sumtum à κένδυλ, quod tuberculum notat:
hinc etiam μετακένδυλ, ὑποκένδυλ.

2. Interpretes valdè in h. l. desudant, ut explicent,
quomodo *Joseph* in *Scypho* auguratus dicatur. Varias
hâc vice afferemus explicationes, & quæ probabilior vi-
deatur, dicemus. Fiet tamen citra alterius præjudicium.

3. Sunt, qui verba: in quô augurari solet, non à *Jo-*
sepho prolata; sed ex propriis à ministro addita putant,
vel, ut strophæ suæ colorem adderet, factumq; exagger-
raret; vel, quòd ea esset vulgi, imò & ipsius opinio, *Jo-*
sephum more aliorum divinatorum talib9 auguriis & di-
vinationibus superstitionis uti, & in illis excellere, cogni-
tionemque hanc per auguria sive dæmonum consulta-
tiones habuisse, & scypho isto, ceu instrumentô, usum
fuisse,

fuisse, more apud Ægyptios usitatô. Rei haud absimilis
testem adducit *Leonh. Marius Comm. in h. l. Julium Sere-*
nium l. 9. de fato c. 18. quem scripsisse refert Assyrios, Chal-
daeos & Ægyptios pelves aquis replere solitos, in quibus
argenteas laminas, lapidesque pretiosos certis caracte-
ribus signatos ponebant, & quibusdam verbis pronun-
ciatis Dæmon advocabatur, qui vocem instar sibili ex a-
quis edebat, responsa eorum, de quibus consulebatur,
reddens. Ex nitidis etiam, tersisque rebus aliis, in quibus
quæsitaram rerum imagines à Diabolo confictæ vide-
bantur, antiquitus divinabatur: & *Julianum Imp.* Apo-
statam hoc potissimùm divinandi genere usum, quidam
tradiderunt. Fallimur, an & hodiernum haud absimilis
divinandi, vel ex crySTALLIS & vitreis vasis aquâ repletis,
vel ex summis digitorum ungviculis, à quibusdam adhi-
beatur ratio ad res, puta, quarum species & imagines à
Dæmone confinguntur, inquirendas. Tali divinationi
adhibitus fertur fons *Cereris*, in monte Patras, qui inje-
ctô speculô, agroto hilariorem ostendens vultum pro-
mittebat sanitatem, tristiciorem autem edens, portende-
bat mortem.

4. Sententiæ hujus Patronis non obstat, ut iis vide-
tur, quòd v. 2. à *Josepho* jussum tale quid esse videatur; tri-
bui enim *Josepho* omnia, cujus fuerint plurima, etsi non
omnia. Verùm quid opus deserere literam?

5. Alii à *Josepho* quidem hæc dicta fuisse, sibi per-
suasum habent, quò sensu tamen, variant.

6. Minimè omnium assurgimus iis, qui hæc à *Jose-*
pho, tanquam reverà augure, prolata censent. Absit hoc
viro sancto tribuere. Certè si verbum $\Psi\Omega\Delta$ h. l. repertum,
eam, quam alibi habet, obtinere & hîc diceremus signi-
fica-

ficationem, non videmus, quomodo Viro laudatissimo
hoc, quicquid est augurii, imputari queat. Constat, ver-
bum hoc præter significationem augurii propriè dicti,
quod ex volatu, garritu &c. avium captabatur, importa-
re in super omnem omninò superstitionem rei futuræ di-
vinationem, quæ ex quacunque re sumebatur v.g. auspi-
cia, extispicia, tripudia solistima, hydromantiam s. per a-
quam, œnomantiam s. per vinum, coskinomantiam s.
per cribrum, lecanomantiam s. per pelvim, gastroman-
tiam s. per phialas ventricosas aquâ plenas, dactyloman-
tiam s. per annulos, catoptromantiam s. per specula, cli-
domantiam s. per clavem, pyromantiam s. inspectionem
ignis, capnomantiam s. inspectionem fumi, libanomant-
tiam s. inspectionem thuris, spodonomantiam s. ex cine-
ribus sacrificiorum, ceromantiam s. ex cerâ liquatâ, da-
phomantiam s. ex lauri adustione, geomantiam s. ex cer-
tarum figurarum in solò disjunctarum inspectione, sor-
tes superstitionas, præfagia felicis vel infelicis successus
belli, matrimonii &c. ex occurso æthiopsis, ex pedum in
limine offensione, ostii strepitu, aurium tinnitu, sternu-
tatione &c. Quis viro nostro, inter Idololatrias licet de-
genti, magnò tamen pietatis Zelò & ardore ferventi, su-
perstitionum harum superstitionissimarum, quibus gen-
tiles navabant operam, inureret maculam? Graviter tale
quid prohibet & detestatur lex divina. *Conf. Lev. 19, 26. 2.
Reg. 17, 17. Salsè irridet cordatiores. Ipse etiam Cic. in-
quit B. Aug. augur & dignitatis hujus laudator summus ir-
ridet auguria, & reprehendit homines corvi & cornicula
vocibus vitæ consilia moderantes. Fatetur & ipse sæpè exitū
prædictis non respondisse: tradit enim l. 2. de divin. Cæsa-
rem, Pompejum & Crassum prædictâ licet omnibus tribus
à Chalb-*

à Chaldæis & Auguribus lætâ, gloriosâ ac pacatâ morte
domi, aliud tamen quid minus pacati persensisse, istum
enim domi quidem; sed proh, quàm pacatè! testantur
hoc, quibus fauciatus, vulnera: illum apud Ægyptios,
hunc apud Parthos turpissimè cæsos hanc finiisse mun-
di fabulam. Redarguit summa vanitas, quam eleganter
attendit Judæus quidam ex *Alexandri M.* exercitu, qui
nonnemine ex ave advolante auguratô, essetne progre-
diendum, an revertendum, trajecisse fertur avem arcu,
ridendo eorum stultitiam, qui, quid agendum, discere
ex ave vellent, quæ suum non prævidere potuisset interi-
tum. Refert *Cic. l. 2. de N. D. Appium Claudium*, primô bel-
lô Punicô apud Siciliam prælium navale jamjam initu-
rum, pullariô non exire caveâ pullos nunciante, jussisse
eos in mare projici, additis verbis, *Siquidem esse (edere)
nolunt, bibant.* Quid est, si in egressu quis offendit pedem
ad limen, infortunatus prædicitur egressus, negotiorum-
que infelix exitus? Quid est illud *Claudiani*:

——— *ter cardine versô,*

Præsage cicinêre fores.

Quanta, quæso, sequentium vanitas omnium! Aures mi-
hi tinniunt, absens quis de me loquitur, dextra est, ami-
cus, sinistra, inimicus. Ambulantes puer transiens vel ca-
nis dividit? In agro iter, quâ transeundum, pertransit lu-
pus, lepus, vulpes, serpens, forex occinit, picus; cornix
est à læva, corvus, parca à dextra, bonum & faustum o-
men est. Manè egredienti obviam venit vetula, malum
omen. Manè sternutanti, inauspicatum; à meridie, bo-
num & felix auspicium. Multum interest, à dextrisne vel
à sinistris sternutaveris. Redis ad lectum, si, dum te cal-
ceas, sternutaveris. Caligas cuidam forices eroserant, id
ipse

ipse ominosum & prodigiosum ratus *Catonem* consulit, quid ea res monstri aleret? Risit *Cato*, & respondit: non esse illud monstrum; sed verè monstrum habendum fuisse, si forices à caligis roderentur. Vanitas! Nihil tale unquam vel confimile de Nostrò asserendum.

6. Alii proinde rursus prætendunt persuasionem vulgi, ad cuius opinionem interrogaverit fratres: an ignoratis, quòd non similis mei in augurandi scientiâ? q.d. an ignotum vobis est, me ab omnibus Ægyptiis pro divinatore summò haberi? Tantùm ut se magis dissimularet apud fratres.

7. Quidam istò mandatò nihil ipsum affirmasse; sed tantùm præscripsisse, quid ab alio dici velit, commentantur.

8. *Chald.* ut *Josephum* ab omni vindicet augurandi suspicione, vertit: *nonne hic est calix, ex quo bibit Dominus meus?* & ipse quærens quæsivit eum: q.d. sollicitus herus meus seriò de scypho querit, & vos eum, Domino meo maxime charum, abstulisse!

9. *R.D.K.* ita commentatur: **נחש ינחש בו ישאל** מנחשים בעבורו וים שהוא עצמו ינחש בו כלומר יחשוב אברת הגביע לנחש רע לעצמו שחבר ממנו הכלי: *augurando augurabitur pro eo: i. e. interrogat augures propter eum. Sunt, qui exponunt. quod ipse met auguratur pro eo q. d. reputat amissionem scyphi omen malum sibi esse, eò, quòd perierit ab illo vas, ex quo bibebat.* Putat ergò in priori membrò, *Josephum* augures consuluisse, es iisq; omni studiò sciscitatum fuisse, à quo furtò calix fuerit ablatus. Hinc & *R. Jonas* v. 15. ita exprimit: **כי איש כמוני יש לו מנחשים**: *ariolos s. divinatores.* Verùm viro religiosissimo haud

biup

C

tri

tribuendum censemus, quasi scientiam rei amissæ à divinatoribus expetierit. Arcet nos ab iis Sc. f. inter alia *Lev. 18, 10.*

10. Alii simulationem, jocò quasi usurpatum, asserunt. Et videtur huic sententiæ favere *cap. preced. commatis 33.* verba: *Et mirabantur nimis, Josephi scil. fratres.* Qui mirati fuerint, reticetur. Hinc sunt ex Ebræis, qui miratos dicunt dispositionem à *Josepho*, cui se putabant incognitos, institutam secundum morem apud Ebr. in mensa receptum, quò sc. singuli juxta ætatem collocati fuerint; *Josephum* v. hoc præstitisse per augurationis speciem, adhibitò scyphò, eodemque percusò, ad singulos scyphi tinnitus quemque suorum fratrum ex nomine appellasse, & considerare jussisse, idque esse, quod præsentiloco dicitur, scyphò ipsum augurari solitum. Prius nempe ordinatio potuit esse; sed unum vir ille hoc posterius fecerit, de eo haud immeritò dubitamus. Dubiò procul omni remotò notissimum ei fuit, malum esse, non modò divinatione uti illicità; sed etiam hujusmodi divinationem fingere. Sunt ergò alii, qui dicunt (ad dimus *ως εν περιδω*) admirationis causam fuisse hanc, quòd nescirent, quid sibi hæc benignitas, prandiique liberalitas vellet. Alii dicunt, eam desumendam esse *ex v. seq. 34.* & fuisse hanc, quòd *Beniamino*, natu tamen minimo, tantum conferri honorem viderint, ut ejus portio in singulis ferculis è mensa Josephi ad singulos fratrum missis quinque partibus reliquorum portiones excesserit. Ex quo, non è communi lance antiquos illos solitos in mensâ comedere; sed singulis suas portiones fuisse assignatas, colligit *Jac. Bonfr. Comm. in h. l.* Huncce antiquorum fuisse morè probat *ex Plut. in Sympos. l. 2. q. ult.* Quicquid

quid sit, quod concernit sententiam in frontispicio huius §. propositam, haud putaverimus, *Josepho* adeò fuisse leve visum, adscribere sibi vanam auguriorum observationem, quippe quod irreligiosum, Deiq; honori promovendo minus habile. Si verò sit, cui hoc leve videatur, & excusationem mereri, tum quia jocò factum, tum quia ad breve tempus simulatio ista assumpta fuerit, cum suò abundare iudiciò permittimus lubentissimi.

II. Si fortè quid dicendum, præ aliis nostrum sibi meretur calculum explicatio *R. AbenEsra*, qui hunc extruit sensum: *nonne hic est scyphus, ex quo Dominus meus bibere solet & ipse in eo tentavit vos*, i. e. fidelitatē vestram & fidem examinavit & expertus est. Verba ejus sunt: **הוּן נִסָּה אֶתְכֶם בּוֹ לִדְעוּ אִם אַתֶּם גְּנָבִים**
Ipsè experiri vos eò voluit, an essetis fures. Videtur huic interpretamento lucem foenerati v. 15. *nesciebatis, virum ejusmodi advenarum fidem probare solere? an nempe picatas habeant manus & furaces unguilas? Saltem impossibilis ad minimum non est hæc explicatio.* Tradit enim inter alios *Valent. Schindl. Lexic. Pentaglott*, *R. שְׁחַח* verbum שְׁחַח significatum etiam scrutandi, experiendi, explorandi, tentandi, probandi, habere, adeò ut non semper notet illicitum conjectandi & augurandi modum, adducitque idem *Genes. 30, 27. נִחַשְׁתִּי* *expertus sum, quòd benedixerit mihi Dominus propter te s. tuâ causâ.* Si & h. l. hoc sumi diceremus significatu, adeò absurdi haud essemus.

12. Quânam autem in re *Joseph* eos tentaverit istò scyphò, expressè addit *R. AbenEsra*, nempe in fidelitate. Alii ad explorandam temperantiam, probandam prudentiã, & cognoscenda cordis arcana, quomodo in vi-

nō se gerant, quō animō & quā indole sint, accommo-
dant: quasi in eo fuerit, ut exploraret, quō quisque fra-
trum animō in natu minimum esset affectus. Tali pro-
bandi modō in vinō usos legimus tum alios, tum cum-
primis *Bonosum Hispaniensem*, origine Britannum, qui a-
pud *Aurelianum Imp.* summo in honore fuit. Eum Ger-
manorum Legatis venientibus propinasse, usque dum
ebrii essent, atque deinceps ab his per vinum cuncta se-
creta cognovisse, ex *Aventino* refert *Camer. hor. succ. c. 94.*
Cent. 1. p. m. 441. Est sanè vinum veritatis foecundissi-
mum: quicquid enim sub alto pectore conditum, quic-
quid in animo subest fuci, detegit & in aprium pro-
fert.

Quid non ebrietas designat? operta recludit.
Benè *Theogn.*

*ἐν πυρὶ μὲν χρυσόν τε καὶ ἄργυρον, ἰδέσθαι ἀνδρες
γνώσκεις ἀνδρῶν δ' οἶνον ἔδειξε νέον.*

Quod est: In igne quidem aurum & argentum periti viri
Cognoscunt: viri v. vinum indicat mentem.

Scitum est Ebr. adagium: *בכיס בכיס בכיס* in loculo, in
poculo, in ira, cognoscitur, intellige, hominis animus.
Forfan & hujus rei experientiam habemus nos Germa-
ni, qui dicere solemus: *Druncken Mund/redet des Her-
zen Grund.* Verùm prior, quam ipse suggerit *AbenEsra*,
explicatio, magis *Josepho* videtur convenire, quàm hæc
posterior. Ebrietatem DEO exosam esse procul dubiō
non latuit *Josephum*.

13. Catone hoc pro temporis & ingenii ratione
contentus vivat C. L. Limatiorem intereà producen-
tem explicationes libentissimè audiemus.

III. De

De sacris Iudaeorum Vinculis,

Ubi in specie

De

VOTO JEPHTAE.

ex Jud. II, 30. seqq.

*An ex textu evidenter probari possit,**Jephtam de voto immolasse filiam?*

Tyrannidis Ammoniticæ ob-ex *Jephta* Manassæus
Jos. 17, 1. אֲשֶׁר בִּן זְנוּנִי spurius, de *Ammonitis* vi-
 ctorem reportaturus votò se Deo adstringit quòdam,
Jud. 11, v. 30.

2. *Judai*, quibus ad tempus *Jephta* noster caruit &
 extorris in terra *Tob* vitam egit, vice haud unâ, nec mo-
 dô unò sponte sese & ultrò Deo constrinxisse leguntur.
 Dico *Deo*, is enim solus constrictio divinarum ter-
 minus relativus, si legitimè vinctus esse aveas; nec enim
 sacer codex ullibi creaturæ I. sanctissimæ hocce tribuit
 dignitatis; consecrationis autem Deo factæ mentio fit
Deut. 23, 21. Psal. 76, 17. Es. 19, 21.

3. Quatuor autem apud *Judæos* sacrorum vincu-
 lorum genera ex *Misna* in *Massechet Nedarim*, ex com-
 mentariis *R. Nissim*, *R. Aser* & *Raschi* in eum *Misna* tracta-
 tum, adducit *Lud. Cappell. in diatribe ad illustrem, qui est*
Matth. 15, 5. locum, genera, quæ paucis, ordine tamen in-
 versò (certas ob causas) iustrabimus.

4. Est ergò nobis I. genus אֲרֵב (אֲרֵבִים enim si-
 gnificat *sagenam, rete*, quò pisces capiuntur & perdun-
 tur) quod ut literas אֲרֵב habet transpositas, ita & si-

gnificationem sortitur planè contrariam; notat sc. *anathema sine ulla commiseratione, devotionem, consecrationem, perditionem, rem Deo consecratam, mortis aut excidii ream.* Tradunt autem Rabb. **אנתומ** *anathema* penetrare in corporis membra, quorum in homine numerantur **אנתומ** 248, qui numerus in literis **אנתומ** latet. Tres præterea **אנתומ** s. *anathematum* adducunt species; quarum (1.) **אנתומ** à **אנתומ** *removuit, expulit, relegavit, abominatus est*, q.d. *remotio, excommunicatio*, quâ quis immundus ab hominû contubernio, aut quâ quis ex coetu Ecclesiastico ad tempus à lege præfinitum removetur. E.g. *Cain Genes. 4, 12.* (2.) **אנתומ** in specie dictum (3.) **אנתומ** *excommunicatio perfecta, extrema, dira imprecatio*, ex **אנתומ** *Deus venit*, cujus vice 1. *Cor. 16, 22.* **אנתומ** *Domini noster venit.* **אנתומ** n. & cum | *paragog.* **אנתומ** est *Chald. & Syr. Magister, Dominus*, forsan ex Ebr. **אנתומ** *Doctor* à R. **אנתומ**. Juxta alios ex **אנתומ** *ibi mors.* Aliter procedit Seldenus l. 4. de jure N. C. & G. secundum disciplinam Ebræorum c. 7. ubi 4. *anathematû* apud Judæos usitatorum recenset genera: *Aut enim sacrum significat, aut donarium ipsum, quod Numini s. in sacros usus devovebatur, ut in commate 28. capituli vigesimi septimi Levitici seu superioribus periochis inde superiori capite citatis verbis; aut id quod expressim jure belli ac militari, s. ob inimicitias capitales devovebatur perditioni, interuccioni, aut odio intestino; aut quod in commissum cadit; aut demum, quod diris, jure tantum pacis onustum.*

5. II. **אנתומ** *Naziræatus, separatio*, à **אנתומ**, quod in Niphil *devotione s. religione, sanctimoniâ* aut *votò singulari l. reverentiâ & dignitate etiam* (ad eum, qui gestabat diademata s. coronam, aut alia ornamenta, quibus à vulgo digno-

dignoscebatur, innuendum) *separatus, segregatus, exem-*
tus fuit, notat, v. 9. Lev. 32, 2. וינזרו Chald. ויפר שון se-
parabuntur à sanctis filiorum Israël. Per נזירי autem
 erant *נזירים Naziræi separati*, obstricti ad necessariam à
 tribus abstinentiam, ceu ex *Num. 6.* dispalescit. Abstine-
 bant nim. (1.) ab omni, quod vitis producit v.g. vino, uvis
 recentibus & siccis, acinis & folliculis, quorsum & ab-
 stinentia à sicera pertinet, à *v. 1. ad 4. l. 6.* (2.) abstinebant
 à tonsione, comam enim alebant, *v. 5. l. c.* (3.) abstinebant
 ab immundo. Cadavera tangere aut ad ea accedere, fu-
 neribus interesse, ipsis summa erat religio, *v. 6. 7. l. c.* Erat
 sc. opera navanda legi divinæ rerumque divinarum lu-
 cubrationibus, ad statum tempus, quod postea 30. die-
 bus s. mense uno determinare Rabb. Eò elapsò caput,
 præviis oblationibus, in ostio oracularis tabernaculi ra-
 debatur & cæsaries igni victimæ pro salute supposito in-
 jiciebatur, & ita votum absolvebatur, *v. 13. seqq. l. c.*
 Cadaveribus, si fortè polluti fuissent, tondebant caput
 & denuò alebant capillos, ac dies 30. numerabant, *v. 9.*
seqq. l. c. Tres autem perfectos Naziræos adducit *Schindl.*
Lex Pent. R. נזיר quorum I. *Samson* non ex voto; sed nun-
 cio angelico separatus *Jud. 13. 4. 5.* II. *Samuel*, talis ex voto
 matris, *1. Sam. 1, 11.* III. *Jacobus Justus* frater Domini, de
 sententia *Clementis Alexandrini*: queis & adnumerant
Joh. Baptistam. Christus autem non est נזיר ex voto, sed
 נצרי *Nazarenus* à נצרת *Nazareth*, urbe *Galilææ*, nun-
 cupatus. Unde & per contemptum eum *Galilaum* voca-
 vit *Julianus Apostata.* Et qui primùm ejus *discipuli*, post-
 eà dicti fuère נצריים *Nazareni & Galilai*, & tandem נצרי
 Antiochiæ sub *Claudio* Imp. Rom. *Act. 11, 26.*

6. III. שבועה *Juramentum*, cujus forma hæc: Præ-
 stans

stans juramentum, tenet librum legis brachiò suo &
 lingvâ Ebr. jurath. m. *Ego juro per Deum Israelis, per eum,*
qui dicitur clemens & misericors, quòd huic nihil debeam.
 Judices dicunt: *Nos adjuramus te per Deum, aut per eum,*
qui appellatur misericors, quòd non sit in manu tua quic-
quam. Et ipse respondet, *Amen.* Judæos autem sæpè te-
 merè in familiari sermone & communibus vitæ nego-
 tiis, in quocunque casu de re quacunque, non spectatâ
 Dei gloriâ vel proximi utilitate, & per creaturas jurare
 solitos probat *Matth. 5, 34.* v.g. per *cælum*, idque licitum
 putabant per *Amos 4, 2.* *Juravit Deus per sanctitatem su-*
am. i. e. ut R. Aben Esra explicat, per cælum. Per *Jerusalem*
 qui jurârunt, moti fuère locò *Amos 8, 7.* per *excellentiâ*
Jacobi, quam putarunt esse *Hierusalem.* Verùm sicut *c. 4.*
 per *sanctitatem Dei* ipse *Deus*; ita *cap. 8.* itidem ipse *Deus*,
 quò *Jacob* excellebat, intelligendus est. Porrò per *caput*
 jurare didicère à *Græcis & Lat. Virg.*

Per caput hoc juro, per quod Pater antè solebat.
 Non pugnat cum *Matth. 5.* locus ex eodem *c. 23, 20. seqq.*
 conciliationem suppeditat *Harmon. Bibl. Dn. D. Waltb.*
in Matth. 5, 35. 36.

7. IV. 776, gr. ὑπόχρεσις ἀπὸ τοῦ ὑποχρεῶμαι, spon-
 disse, ὅτι ὁ ὑποχόμενος & βάσει πνιέαυτὸν ἐπέθετο, votū quod
 est *promissio facta Deo, pro obtinendo quopiam beneficio cum*
firmitate aliqua & obligationē ad illud, quod prius erat li-
berum agere. Requisita possunt ex multiplici æstimari
 parte v. 9. ex parte ejus, cui vovetur, est *acceptatio*, ceu per
 similem casum probari potest ex *Lev. 19, 5.* Ex parte vo-
 ventis solent adduci 1. *Propositum.* Nudum autem propo-
 situm, licet diuturnum, non obligat, alioquin relabens
 post confessionem, duplici delinqueret peccatò, nec
 qui-

quidem firmum sufficit propositum 2. *Promissio*. Ita
dist. *votum* à *desideriis* & *optatis* v. g. *Matth. 21, 9.* it. à *pre-*
cibus. it. à *nudo proposito*, ceu patuit. vid. *Grot. de I. P. &*
B. l. 2. c. 11. Hæc conjuncta esse debet cum scientia intel-
lectûs, cui opponitur ignorantia & dolus. Si enim vo-
tum quis non conceperit, nisi fraus intervenerit, oppu-
gnatur scientia. Per intellectum obijcitur. 1. rei conside-
ratio voluntati. 2. advenit consultatio, expediaturne illa
res. 3. voluntas rem approbat cum obligatione in se-
quens tempus sub peccato. 4. *Conditio*: *plena delibera-*
tio voluntatis, cum fuerit facta, ipsa est expedienda *exter-*
nò signò per practicam rationem s. verba concepta obli-
gationem indicantia, quam interius statuit ipsa volun-
tas præstandi illud Deo sub peccato, quod vovit: tum
voluntas & intellectus rationi practicæ imperat, & per
prudentiam s. executionem rationis practicæ, firmiter,
quod faciendum sit, statuit. Sic manet ex parte voven-
tis *obligatio*. Ex parte materiæ requiritur, ut sc. sit *res*
in libera nostra potestate posita: non naturaliter necessa-
ria & debita; nec impossibilis: v. g. *si voveres, te nunquam*
moriturum. Hinc liberrima Dei dona v. g. *perpetua vir-*
ginitas, voveri nequeunt. *B. Luth. tom. 2. Jen. Germ. in*
ep. ad Leonh. Koppen p. 231. unmöglich ist / daß die Gabe der
Keuschheit so gemein sey / als die Klöster sind. Nec per se
mala & illicita, qualis *Act. 13, 12.* conf. *Devt. 23, 18.* vid.
B. Dn. D. Meisn. part. 3. Phil. sobr. s. 1. c. 6, q. 3. nec indif-
ferens v. g. *te non proditurum in forum*. Nec vana, levicu-
la, inepta v. g. *si voveris, te non aspecturum asinum, te cum*
Franciscò pediculos ex veste in sinum repositurum, te formi-
cas in via collecturum, ne pedibus ambulantium contracten-
tur. An possit vovere quis id, quod antea præceptum,

D

dis-

disquiri solet. Ex parte finis, intendit 1. *beatitudinem*
2. *Dei gloriam*. Alia tacemus.

8. Quatuor jam memorata Judæorum *vinculorum*
sacrorum genera expressa habentur in *Misna Massech. Ne-*
darim c. 1 §. 1. cujus hæc verba: כר כנויי נדרים כנדרים
וחרמים כחרמם ושבועות כשבועות ונזירות:
i. e. *Omnia vota tam simplicia, quàm Anathematis* (quæ
חרם) *aut Naziræatus, itemque juramenta, synonymis s. vi-*
caris vocibus concepta tam obligant, quàm si concepta fuis-
sent disertâ voti concepti formulâ. Ubi duo observari li-
cuit 1. *voti simplicis mentionem.* 2. *votum concipiendi ra-*
tionem. De I. Per *vota simplicia* extra dubium intelligun-
tur ea, quæ sine apposito, *Ebr.* נדרים, ita ut חרם s. *anathe-*
ma instar *voti* habeatur *compositi*: intelligendum enim est
cum addito: *votum* sc. *excisionis & internecionis*, quæ su-
perius cum *Naziræatu & juramentis* vinculorum sacro-
rum genera salutavimus: h. l. autem votum sortitur a-
liaratione nomen generis, & indifferenter se habet ad
votum simplex s. נדר & *anathema*. De juramento ulte-
riùs non agemus, cum voti rationem non videatur ha-
bere.

9. Ut iterum ordinem invertamus, Anathema
(procul dubiò etiam *Naziræatus*) redimi non poterat;
sed ut Deo devotum erat, ita effectum necessariò sequi
conveniebat. נדר autem s. *votum simplex* erat duplex I.
נדר הקדש *votum rei sacræ*; pertinebat verò hue (α), quod
devovebatur Deo לברק הבירה *ad farta tecta templi.*
(β) quod conferebatur Deo למזבח *ad sacrificia & obla-*
tiones super altere factas. II. נדר איסור *votum interdicti*,
quò sc. quis interdicebatur usu rei cujuscunq; alioquin
ex se licitæ cuilibet, illicitæ tantùm ei, qui votò illò se
ob-

obstrinxit; v. g. si voveris abstinētiā à gestatione stola
 in perpetuum, ab esu lactis tempore aestivō, à potu vini, si quis
 videat. It. si interdixeris tibi usu recularum tui vicini,
 conversatione fratris, peregrinatione. It. si votō te obstrin-
 xeris, te nolle equum subministrare studioso. Sicut hæc plu-
 ribus explicat *Capell. d. l. De II. Apparet*, concepta fuisse
 vota verbis *i. disertis & expressis*, & quidem vel oratione
 plenā & integrā, quod vocant עיקר נדר *formale votum*
 v. g. קרבן שאני: *res ista esto mihi illicita*: זה אסור עליך
 נהנה לך *Corban esto illud omne, quō ego tibi possem esse uti-*
lis. Huc pertinet *Matth. 15, 5. δῶρον, ὃ ἐστὶν ἐξ ἐμοῦ ὡφελῆθῃς.*
 Vel truncatā & mutilā, quod vocant ידות *ansas f. manu-*
brium, cujus appellationis rationem *Rabb.* dant hanc,
 quōd scil. sicut, qui vult vas aliquod manu prehendere,
 sufficit, si prehendat ידו *h. e. ansam f. manubrium* ejus, re-
 liquum enim vas sponte sequitur; ita qui hanc voti for-
 mulā utitur, licet non plenā, eodem locō habetur, ac si
 integrā & plenā usus esset & c. ut verba *Misna* suprā alla-
 ta important; v. g. שאני אוכר לך *ubi forsan omis-*
sium קרבן vel אסור h. f. prohibitum mihi esto, cibum tecum
sumere. 2. *Synonymis & equipollentibus, vicariis, & voci-*
bus à Rabb. constitutis, quod vocant כנוי נדר *i. e. agnomi-*
natio voti. Voces istæ sunt קונה & קונם קונם v. g. קונה
 שאני נהני לך *voveo, me nulla in re tibi profuturum*. Va-
 rias vota dissolvendi rationes ex *Rabb.* adducit *Cappellus*
l. c. n. 23. f. qq. qui vid. Confuse cum confusè loquen-
 tibus *Rabb.* locuti fuimus. Sed ad alia.

10. Notum Jephthæ erat: *Si tradideris Ammonitas in*
manum meam, quicquid egredietur de foribus domûs meæ
in occursum meum, cum revertar in pace à filiis Ammon,
 והיה עולתך והיה ליהודיך & erit Domini & offe-
 D a ram

ram illud in holocaustum, v. 31. postea v 39. & executus est
in ea votum, quod voverat.

II. Q. ad quodnam genus vinculorum sacrorum
hæc Jephthæ promissio sit referenda? Quæstio videtur
inutilis, cum in textu occurrat ipsissima נדר i. e. *voti*
particula. Ergo erit *votum*. Ast quæstionem non esse
de nihilo; sed multum importare, apparebit, si repeti-
tum vel præsuppositum fuerit, vocem נדר esse nomen
generis & indifferenter se habere ad נדר speciatim di-
ctum, quod vocant *votum simplex*, quod describitur *Lev. 27.*
à v. 1. ad 28. & ad נדרים quod vocant *votum conjunctum* s.
anathema, ceu supra explicatum. Q. E. An fuerit *votum*
simplex, an *anathema*? Præ aliis quæsitum involvit hoc:
An votum Jephthæ fuerit revocabile, nec ne?

12. Duæ de quæstione principali sunt sententiæ ce-
lebres, altera asserit, in vivis mansisse sacris destinatum;
altera; è vivis surreptam judicat filiam, quæ posterior
iterum est gemina: hæc dicit natam Jephthæ mactatam
modò, non immolatam: illa & mactatam & immola-
tam adstruit. Unde & de quæsito proximo diversæ ha-
bentur opiniones.

13. Qui in vivis mansisse dicunt, ad *votum simplex*
referunt & quidem ad נדר הקדש s. voti rei sacre pri-
mam speciem, *ad sarta tecta templi*, ut adeò Nata devo-
ta fuisset cultui sacro, & ut addunt, perpetuæ virginitati.
Et sic votum retractabile fuisset. Qui mactatam, non au-
tem immolatam, dicunt, referunt ad *votum compositum*
s. ad נדרים *Verbannung* (ita Cappellus *Diatribesingul. de*
voto Jephthæ) & quidem ad illud, quod describitur *Lev. 27,*
28. 29. *Verùm omne interdictum*, (*Anathema*) *quod quis*
devoverit Domino, de omnibus illis, quæ sunt ipsius, מאדם
 ובהמה

וְכֹהֲמֵי ex hominibus & bestiis, & agris possessionis suae, non
vendetur, neque redimetur; omne n. interdictum est sancti-
tas sanctitatum (i. e. res sanctissima) Domino. Omne Che-
rem, quod devotum fuerit מן האדם de homine (vel ex hu-
manis personis) non redimetur, sed morte (i. e. omninò
moriatur. Vi hujus legis votum Jephthæ dicit Cappellus
irrevocabile. Ubi Cappello obstant (1.) illi, qui מן האדם
cum *Vulg.* reddunt: ab homine, ut consecrationis innua-
tur non materia, sed efficiens h. s. omninò morietur, quod
(non ex hominibus; sed) ab hominibus fuit devotum. Ast
pro Cappello respōderi potest 1. superflue sic esse repetitas
voces positas: quæro enim, an etiam de aliis votis agat
Lex, quàm quæ ab hominib. devoventur? quidnam da-
tur, præter hominem, quod Deo quid consecret? 2. Ipse
Leonb. Mar. in h. l. expressè dicit: *Verti etiam posset, quæ
offertur de velex homine, q. d. Omnis homo Deo devotus non
poterit redimi.* Et hæc explicatio utique est vera. Tale
proinde votum Jephthæ fuisse dicit Cappellus, à quo nulla
concessa fuerit redemptio, & propterea Filia morte ne-
cessariò delenda sine ulla revocatione, quod probat ex
Jud. 11, 35. non possum revocare. (2.) Obstare videtur Capp.
quòd ita Parentes in liberos, heri in servos, habuerint
jus vitæ & necis, quod tamen minimè habuerunt. Vid.
*Clar. Eichelius Profess. Helmst. librò unò de jure naturali pa-
rentum in liberos, & horum in parentes.* Respondet Capp.
habuisse eos jus vitæ & necis non simpliciter & nudè,
sicut usurpatum fuit à Romanis, sed temperatum sen-
tentiâ sacerdotum, à quib9 causæ illæ, num sufficientes
essent, nec ne, cognoscendæ fuerunt. Dicit prætereà, ut
*divitas & immanitas tollatur legis allatæ, eandem ejus fuis-
serationem, quæ legis de repudio.* Non probabat (inquit)

Deus repudium, sed si quis erat tam durò & præfractò animò, ut nollet diuinus uxori convivere, Deus quatenus populi Judaici Rex erat veluti Politicus & civilis legislator, non prohibebat, quò minus illam à se amandaret, datò repudii libellò. Sic etiam Deus non probabat, ut quis personam humanam sibi per $\square\Gamma\Gamma$ devoveret, sed si quis adeò temerarius erat, ut votum ejusmodi nuncuparet, non de bestia aut agro tantum sed de persona etiam, quæ ipsius esset juris, volebat eam morte affici, non quòd illi probarentur & gratæ essent humana hostiæ; sed aliis de causis legitimis, quas lex quidem non aperit &c. Et quibusdam interjectis: Ita abusus cavebatur, & simul parentes à liberis, & heri à servis tantò majore in honore habebantur, utpote quos tantam viderent in se habere vitæ & necis potestatem, ut, si libuisset, ab uno oris ipsorum verbulo vita & mors sua penderet. Post: Videtur Deus tacitè voluisse hanc sanctionem absterre parentes & heros à temerariis in liberos & servos diris & imprecationibus. Quæ sunt duæ rationes Ethicæ. Addit & typicam de Christo, qui pro nobis $\square\Gamma\Gamma$ factus &c. Sat speciosè ita respondet Cappell. sed an sat nervosè, dubitare licet. Equidem 1. Antiquitas Judaica assertam à Cappell. Sacerdotum potestatem penitus ignorat. 2. Istâ excusatione opus non videbatur. 3. Sibi ipsi contradicit Cappell. Dum enim totus in eo est, ut omne anathema, quò e. g. pater filium, vel herus servum devovet, sit irrevocabile, ut propterea cavendum fuerit, ne temerè vox effutiatur devotiva; tandem sui oblitus sub fin. n. 13. dicit: Nempe Sacerdotum erat dispicere, utrum Patri & Domino justa fuisset devovendi anathemate filium vel servum causa, & si justa fuerat causa, meritò supplicium de devoto sumebatur, si nulla aut injusta erat, Anathema (uti verisimile est) irri-

eum pronuntiabatur. Cur dixerat n. 9. parentum diras (licet forte temerarias & iniquiores) reformident & exhorrescant filii servivē, utpote quas, etsi injustas, Deus nonnunquam ipsò eventu veluti comprabat, & quasi ratas habet. Quid de ratione typica statuendum, edisserant alii. Licet ergò Cappellum non feriat prima objectio, ferit tamen secunda. Obstat ei 3. quòd קרח respectu hominis non importet immolationem; (cùm piaculum hoc à sacerdotibus curam sacrificiorum habentibus non admissum videatur) sed occisionem nudam. Jephthæ votum autem (ceui patebit) intendit immolationem, non nudam occisionem, cùm dicatur v. 31. יהוה ליהוה ויהוה יהוה h. e. & erit Domini & ascendere faciam illud adscensionem (ut Ariamontanus) LXX. Interpp. καὶ ἔσαι τῆ Κυρίῳ, ἀνοίσω. (quædam exempl. ἀνοίζω) αὐτὸν ὀλοκάυτωμα. Vat. ablus: eum holocaustum offeram Domino. B. Luth. Das sol des H. Ern. seyn / und wil es zum Brandopfer opfern. Pro Cappello potuisset esse explicatio Heinsii Exerc. in N. T. ep. ad Ebr. 11, 32. nova, quâ verbum יהוה per offerre explicat, quæ ejus significatio non est infrequens, vid. Buxt. Schindl. Först. Avenar. &c. in Lexic. R. יהוה nomen autē יהוה per ἀναφορὰν vel προσφορὰν, eò, quò dici solet, modò, θύειν θυσίαν, φοβεῖν φόβον. vid. B. Dn. D. Class. Phil. S. L. 3. tr. 3. c. 32. sed objicienti non satisfecisset. Etenim verbum quidem יהוה absq; addito conjugato suo יהוה donativam oblationem notare, ultrò concedimus Heinsio, sicut reperitur 2. Reg. 17, 4. Neh. 10, 38. &c. Ast nomen יהוה 1. solum per se nunquam pro dono; sed pro holocausto, semper autem ascensione vel gradu usurpatur in V. T. 2. imprimis conjunctū cum suo verbo significatu oblationis donativæ
nu

nullibi gaudet. Videbimus ergò ipsam Cappelli respon-
 sionem. Respondet ergò *Cappellus* n. 26. necesse non esse,
 ut statuatur filia *Jephthæ* super altare DEI oblata in holo-
 caustum: satis esse, si modò ex Anathematis lege morte
 sit affecta. Bestias mundas, oves, capras, boves &c. devo-
 tas, dicit sacrificatas fuisse, cum fuerint materia ad sacri-
 ficium apta: devotas autem bestias immundas, equos,
 camelos, it. personas humanas, utpote ad sacrif. ineptas,
 juberi à lege interfici modò, non offerri in sacrificium.
 Unde verba alleg. explicat *copulativè* quidem ac *subordi-
 nativè*; sed *in sensu conditionato* h. m. *quicquid exierit do-
 mō meâ, erit Domino (sacrum sc. anathemate) & offeram
 illud in holocaustum, nempe sitale sit, ut offerri possit.* Hæc
 etiam *Piscatoris* glossa est qq. in *Jud.* q. 64. Verùm nec
 hæc ipsa *Cappelli* responsio dubio antea allato satisfacit
 vel ex ea ratione, quòd aliquid addit textui, eumq; con-
 ditionatè explicat, quæ explicatio ex textu nondum sa-
 tis probata. Neque etiam verifimile videtur, subintel-
 lectam à *Jephthæ* fuisse illam conditionem. Quid enim
 causæ erat, cur setantoperè excrucicaret ob occursum
 filix, si sciret, redimi eam potuisse animali mundò quo-
 vis aliò.

24. Jam videndum, ad quamnam voti speciem vo-
 tum *Jephthæ* referant illi, qui filiam & mactatam & im-
 molatam asserunt. Hisce nostrum addimus calculum.
 Dicimus proinde votum *Jephthæ* non fuisse *simplex vo-
 tum* s. נדר sed חרם, & omninò referendum ad locum, de
 quo hætenus actum, *Levit.* 27, 28, 29. Consentit *Dn. D.
 Danh. disp. de voto Jephthæo* §. 28. Sed statim audio objici-
 entem: Ergo né votum fuit irrevocabile vi legis: quid
 igitur contradictum *Cappello*? aut si revocabile fuit &

pro-

propterea peccasse dicendus est *Jephtha*, non fuit יְחִיָּהוּ.
 Liberè dicam, quod meæ videtur tenuitati. Scil. lex de
 Anathemate l. c. non ad eos, qui in potestate patria aut
 dominica fuere, sed bellò captos pertinet: quodcunque
 ergò sive de bestiis, s. de hominibus ex gentilibus popu-
 lo Judaico infensis Deo in Cherem vovetur, nō potest
 vendi vel redimi; sed planè delendum est. Conf. *Jos. 6.*
 & alia. vid. *Seld. l. c. c. 10.* Hunc equidem legis sensum ef-
 se negat *Cappell. n. 14.* sed citra prægnantem rationem.
 Primarium est, quod obtendit, יְחִיָּהוּ postulare rem in
 devoventis potestate sitam: hostes autem non esse in
 censu & numero rerum, quas possidemus. *Resp.* Hostes
 ita erant in potestate *Judaorum* devoventium, quia Deus
 in eorum manus ipsos tradiderat; occupatis ergò urbi-
 bus, jure belli transibant *Cananei* &c. in *Judaorum* po-
 testatem. Manet ergò de *Judeis* hostes suos devoventi-
 bus, non filiis, agnatis, servis, legem agere. Absit ergò
 statuamus jus vitæ & necis parentibus & heris conces-
 sum. *Dicis*: ergò votum *Jephthæ* in illa lege nullum re-
 perit fundamentum. Benè, erat enim votum illicitum,
 conceptum de materia illicita, cum *ἀνθρώπων ψυχαί* sit per
 se vetita & cum Dei naturæque pugnet legibus, & pro-
 pterea suscipienda non sit, nisi adsit certus & indubius
 Sp. S. inspiratus. Nec enim victoria subsecuta votum
 legitimat, cum (1.) dubium sit, an fuerit medium victo-
 riæ antecedens, causale & impetrans. (2.) & *David* post
 adulterium coepit urbem *Rabbath Ammon.* Sic *Aaron*
 postquam deliquit, vicit. Prætereà sæpè pluvia ascri-
 bitur Monacho proficiscenti. Ita & superstitio populi
 potuit voto non causæ, ut causæ, hunc adscribere even-
 tum. Digna sunt, quæ huc transferantur, verba *Thomæ*

2.2.9.88. Sunt non nulla, inquit, quae non solum genere suo bona sunt, sed & in omnem eventum, qualia sunt virtutis opera. Alia vero non solum mala in genere; sed & in omni casu, veluti illa, quae sunt genere sub mala. Quorum ideo priora tuto quisq; absolute vovere potest, posteriora vero nullo pacto. Sed & alia praeterea sunt, quae, & sic genere suo sint bona, & secundum hoc legitima voti materia, possunt tamen in eventum exire sinistrum: tale fuit illud, quod Jephthe vovit. Fuit illud votum genere suo bonum, utpote immolare Deo. Veruntamen quoniam immolationis materia ab ipso non fuit praefinita, sed dixit, quicumq; primus fuerit egressus de foribus domus meae, cum holocaustum offeram Domino, votum prudenti caruit discretionem. Et similia sunt indiscreta vota, cum sub nota universalitatis proponuntur, ut, voveo, quicumq; a me pauper petierit, porrigere. Nam forsitan a te gladium petet ad patrandum homicidium, vel aliud, quod largiri non decet. Ea propter hujusmodi vota in illis eventibus, quae jure natura licita non sunt, ne utiquam obligant. Haecenus ille. Sequitur proinde revocabile fuisse votum. In male promissis rescinde fidem. Dicis: Si revocabile. E. non fuit וְרָח, quippe quod irrevocabile. Resp. non fuit וְרָח licitum; sed illicitum, quod cum licito pari passu ambulare statuit Jephtha, & propterea, quod assertum, pertinere ejus votum ad וְרָח, cujus mentio Lev. 27, 28. 29. intelligimus ita, quod Jephtha ad legem istam respexerit & pro voto irrevocabili habuerit, sicut alias anathematismus esse solet, licet, si recte pensitaverit, revocabile, imò necessario revocandum fuerit, redimenda filia numeratio pretio in lege determinatio. Sed ad eundem modum, quo regerit Cappell. n. 4. regeri potest, ita affingi non modo Jephtha, sed & toti populo adeoque & Sacerdotibus,

bus,

bus, imò & summo Pontifici, legis ignorantiam. Annon enim in tanto animi moerore Jephtham alicujus expetisse consilium probabile est? &c. Informari ergò potuisset *Jephtha* de filia, si *votum simplex* fuisset, redimenda; sin *Cherem*, quòd ad hostes tantùm pertineat intelligere potuit. Non utemur ridiculâ *R. D. Kimchi in l. rad.* responsione, quam adducit *Drus. ad diff. loc. Jud. p. 283.* est-que hæc: *Non erat ibi Phinees, ut laxaret votum ejus. Nam dixisset ei: astimatione pecunia tu liberes. Dixit Phinees: ipse indiget mei, veniat ad me. Jephtha autem caput principum Israel, Egone ibo ad eum? In ista contentione periit puella, & ambo ipsi puniti fuerunt, Jephtha avulsione membrorum mortuus est, sicut dicitur, sepultus est in urbibus Galaad. A Phinees autem recessit Spir. S. sicut dicitur, & Phineas filius Eleazer Sacerdos princeps fuerat super eos &c.* Dicimus potius cum *Dn. D. Danh. l. c. §. 30.* credibile esse, non consultum os Domini, quæ imprudentia etiam *Josua* in transversum rapuit *Jos. 9, 14.*

15. Proinde quæ nobis equidem probabilior de memoratò quæsitò videatur sententia, ex dictis vel in totum clausis oculis Homericis patet. Probabile sc. putamus, *Jephtham* devoto & mactasse & immolasse filiam. Edocent scriptores passim, gentes humanis litasse victimis. Ita apparet ex *Cæs. Bell. Gall. 6. 16. Plut. in Themist. Bernegg. in notis ad Justin. 18. 6. 12. Florum 3. 4. 1. & 1. 16. 7. Curtium 4. 3. 38. &c.* Proprios quoque liberos sacrificasse tradunt *Bernegg. l. c. Athenæus l. 4. Diod. Sic. 20. 14.* Vide sis omninò *H. Grot. in de Chri. satisf. c. 10.* Putant idcirco quidam, horum exemplum secutum *Jephtham*. Nobis videtur historia *Jephthæ* plerisq; omnibus exemplis paganorum allatis antiquior. Dubitamus ergò de

æmulatione. Invertere potius liceat. Diabolus enim,
 Dei simia, sicut mutavit *Noachi* cataclysmum in diluvi-
 um *Deucalionis*, *Samsonem* in *Herculem*, comam *Samsonis*
 in capillitium *Ciris*, nubem itineris Israelitici ducem in
 nimbum Deorum capita ambientem, cœlitus manda-
 tam *Isaaci* immolationem in immanem a homicidam
 religionem; ita etiam plurimis historiæ nostræ *μύθησις*
 quædam s. vera s. ficta videtur historia s. fabula de *Iphi-*
genia (qs. *Jephtigenia* dicta) à Patre *Agamemnone* sacrifi-
 cata. Conformitatem quærit *Cappell. l. 1. n. 12.* in his: *Ille*
Græcorum Regis, ista Israëlitarum Ducis unica fuit & cha-
rissima filia utraq; virgo, utraque à Patre devota, cum ad-
versus hostes castra moverit; illa ad Deorum iram placan-
dam & ventos prosperos impetrandos est sacrificata, ista ad
victoriam à Deo de hostibus reportandam devota fuit, ista
per duos menses cum sociis puellis per montes vagata est &
discursitavit, illa fingitur à Diana in cervum commutata
per montes & sylvas vagari. Licet alii ad immolationem
Isaaci accommodent, dicentes *Iphigenia* mactanda, ut
Isaaco arietem, cervam fuisse succedaneam. Ad præsens
 hoc nihil facit.

16. Paucis autem nostram de immolata Nata sen-
 tentiam roborare conabimur fundamentis, ne frustra
 nos, quod diximus, dixisse videamur.

17. Urgemus I. textus *ῥητὸν*, à quo citra prænantem
 necessitatem non recedendum. Dicitur *והיה היוצא*
אשר יצא quæ malè *Vulg.* in masc. redd. *quicumque*
primus egressus fuerit &c. aliàs effugium habuisset in la-
 mentis suis Pater afflictissimus. Rectius *Trem. Jun. &*
Piscator: quodcunq; primum egredietur. Est objectum
 Domino offerendum 1. definitum. 2. indefinitum. De-
 fini-

fini-

finitum, ad ea sc. rerum genera, quæ ambulare & in occursum alicujus domo egredi possunt. Includitur homo, ceu eventus testatur, utriusque sexus. Non excluduntur bestia. Sanè maximè probabile est, motum animi Jephthæ in voti hujus nuncupatione fuisse vehementissimum & victoriæ cupidissimum, quò factum, ut grave non putarit, rei cujuslibet sibi charissimæ, ipsius filiaë unicæ, jacturam pati. Ut adeò sensus sit: *Quicquid egressum fuerit, licet sit filia lectissima &c.* Indefinitum autem, ἀόριστον &, ut Logici ajunt, sensu disjunctivò explicandum: *quicquid egressum fuerit, vel hoc, vel illud, vel istud &c.* s. brutum ac mutum s. etiam gratulatorium, blandum, qualis occursum eorum est, qui primam gratiam inire gestiunt. Sequitur porrò: *Erit Domino & offeram holocausto.* Phrasis ipsa superius fuit explicata. h. l. addimus, nos præfix. 1 reddere in sensu famosiori, copulativò, importatâ simul subordinatione, ita ut prius membrum habeat se per modum generis: posterius per modum speciei ἐξηντηκῆς, h. s. *ita erit Domino, ut immoletur in sacrificium*, absolutè quidem, non conditionatè, si aptum fuerit sacrificio.

18. II. Votum de immolatione notius est priscis istis seculis, quàm votum de coelibatu, imò inusitatum planè illud fuit & nube testimoniorum destitutum.

19. III. Idem ostendit animus *Jephthæ* gravissimè exulceratus. Sanè dolor tantus tanto in heroe vix sperabatur v. 35. Ecce enim *Jephthæ* victor redux, ut vidit filiam suam unicam sibi obviam primùm factam, ignaram voti paterni, sui nesciam periculi, choros ducentem & tripudia, memor voti scissis ex luctu ingenti vestimentis, *ah, ah, filia mea*, ingeminat הכרוע הכרעתני incur-

vando (i. e. valdè) *incurvasti me* &c. ubi obiter censoriâ notandus virgulâ *Vulg.* qui redd. *decepisti me* & *ipsa decepta es*. Consulantur Lexica & Concord. Verbum הכריע *decipiendi* significatu gaudere non reperies, maximô licet inquisiveris studiô. Palliô *Cornelii à Lap.* opus haud erat, quod ex his confutum panniculis: *decepisti me scil. spem meam de propagandâ per te familiâ: decepta es, quia putabas, me latum fore tuô egressu.*

20. IV. Judicavit enim, quod dedit, votum irrevocabile & incommutabile, ib.

21. V. Pugnat deplorata, per binos menses, 'virginitas, cujus lugendæ, si in vivis mansisset, occasio per consequens tempus concinnior fuisset. Per bimestrem autem moram, utpote abituriens & incarceranda vel sejungenda, sociis puellis collatari potuisset.

22. VI. Multum probat anniversarium colloquium à puellis sociis de consuetudine institutum v. 40. Dico: *colloquium*: Licet verò plurimi לתנור redd. per *lugere, plangere, lamentari*, quasi sit תנן, unde תנין vel תנינים *Dracones* & לתנור *Draconibus Mal. 1,3.* quorû sc. vox flebilis sit; interim י. R. תנן vix occurret. 2. positô, quòd occurrat, flexionem tamen præceptis grammaticis repugnare notum est iis, qui vel in limine institutiones salutaverunt Ebraicâs. Videtur ergò potiùs deducendum à תנן, sicut à גלורא est לגלורא. Est autem תנן in *Piel* (idem ac שנה) *predicare, confabulari, narrare, referre*; magis tamen est *Chald.* quàm *Ebr.* Occurrit autem in super *Jud. 5, 11.* sequens autem præf. ל non est h. l. nota *Dativi*; sed idem valet ac *de*: h. s. *retulere de eâ, memorarunt, celebrarunt ejus mortem & constantiam*, quod quidem sine omni planè planctu contigisse non videtur.

tur.

tur. Vel si est nota *Dativi*, erit h. s. *venerunt ad confabulandum filia Jephthæ*, i. e. *in honorem ejus* &c.

23. Cæterùm dispiciamus 1. de opposita sententiâ (de *Cappelli* enim opinione nihil attinet dicere) 2. de ejus probationibus.

24. Sententia eorum, qui *Jephtham* filiam Deo virginem perpetuâ consecrassè, & monasteriô vel carcere perpetuô conclusissè statuunt, præter dictas rationes ex eô non potest esse firma, i. quia ita non fuisset justa lacerandæ vestis & lugubris istius exclamationis causa v. 35. Dolorem quidem suscitavit ἀτυκνίας metus, an verò tantum, quantus in Heroe conspectus fuit, dubitatur non immeritò. Decessère tempore V. T. alii etiam ἀτυκνοὺς quibus tamen tantus dolor subortus non fuit. Multominus ministerium sacrum, utpote cultū requirens spontaneum, tanti luctūs causa extare potuit. *Dicis*: potuit, quatenus conjunctum erat cum coelibatu. *Resp.* destinatos cultui divino à conjugio non fuisse retractos probat exemplum *Samuelis-Naziræi* quidem, conjugati tamen. 2. Undenam probari poterit, extitisse monasteria ejusmodi virginalia? *Romanensium* rationes refutat *Casaub.* ad *appar. ann. exerc. r. c. 22 seqq.* Et si fuissent monasteria perpetua ista virginitas nullatenus Deo grata & accepta potuit esse, quippe quæ non à spontaneo voluntatis motu & sancto virginum ipsarum proposito oriebatur; sed ex parentis irati, vel quomodocunq̄ commoti & affecti voto per vim ab invitis & reluctantibus velut erat expressa. Eleganter quærit *Cappell. n. 18.* *quid si Pater non virginem; sed vel viduam, atq̄ post mariti mortem sub paternam potestatem redeuntem, vel corruptam etiam anathemate devovisset ob ejus pudicitie suspicionem, an & illa*

C167B

cum virginibus includenda fuit? Absurdum. Quid de illâ ergò faciendum fuit, aut quâ singulari ratione Deo consecrari eam oportuit? 3. Mos non inolevisset inter virgines Israeliticas quotannis conveniendi ad memorandam celebrandamque ejus in ferenda morte fortitudinem. Nec forsan 4. nata fuisset apud Gr. relatio de sacrificata à Patre Agamemnone Iphigenia? Alia abeant.

25. Sed ad hujus sententiæ rationes. I. τὸ ἢ disjunctivè esse h.l. explicandum, quasi sit pro ἢ positum h. f. *erit Domini. e. consecrabitur Domino, aut offeram illud holocaustum. e. immolabo, sit ale animal, quod sit holocausto idoneum, non consecutioni tantùm, fuerit.* Cui rei gemina occurrere videntur *Gen. 26, 11. Ex. 1. 10. c. 12, 5. c. 21, 15. 16. Deut. 27, 9. Es. 7, 6. &c. Resp. 1. usum ἢ disjunctivum in nonnullis locis non inficiamur; ast erit collectio à particulari: sumitur nonnunquam ita. E. & h.l. 2. in dubiis ergò famosiori adhærendum significationi. 3. h.l. disjunctio consistere nequit. Docent namque Logici, disjunctionem debere fieri inter opposita, non subordinata, vel ea, quorum unum se habet per modum generis, alterum per modum speciei: hinc minùs rectè dixeris: *aut animal est, aut homo est, cùm & homo animal sit.* Sic consecratio habet se per modum generis in ordine & respectu ad oblationem in holocaustum. Unde dici nequit: *aut Domino consecrabitur, aut in holocaustũ offeretur;* cùm & oblatio in holocaust. sit consecratio DEO facta. 2. Moram semestrem exorat filia plangendi (non vitam; sed) virginitatem v. 37. *Resp. deflevit virginitatem; sed non exclusâ vitâ.* Morti enim acerba conditio erat addita, sc. quòd sine liberis obire haberet necessum. 3. Et ipsa non cognovit virum i. e. permanfit virgo. *Resp. quid ob-**

ob-

obstat, תִּזְכֹּרֶנּוּ vertere per plusquamperf. *cognoverat*.
 Præteritum enim & aliorum temporum sortiri signifi-
 cationes, probat *B. Dn. D. Glaß. Phil. S. 1. 3. tr. 3. can. 46.*
p. m. 346. v. g. ut modò plusquamperfecti (quod *Ebr.* pla-
 nè ignorant,) significatum habere ostendatur, consula-
 tur *Gen. 2, 2.* וַיִּכְרַם & *complevit* i. e. compleverat *septi-*
mo die omne opus suum, quod fecit: neque enim septimo
 die adhuc operatus est & c. *c. 29, 12.* וַיִּנְחָא & *nunciavit* i. e.
 nunciaverat, ante sc. quàm contingeret illud, quod *v.*
10. memoratur. *Exod. 12, 35.* dicitur de filiis Israël וַיִּשְׁאַל
 & *petierunt* i. e. petierant ab Ægyptiis. *Jud. 1, 8.* וַיִּלָּחֶמּוּ
 & *pugnaverunt filii Juda contra Jerusalem & c.* i. e. pu-
 gnaverant, scil. tempore *Josue.* conf. *Jos. 15, 63.* Quò mo-
 dò etiam in N. T. *Præterita & Aoristos* accipi testatur idē
 Vir desideratissimus. 4. ad confabulandum cum ea
 quotannis ascendisse dicuntur virgines. Resp. ex supra-
 dictis constat, quænam confabulationis fuerit ratio.
 Ubi insuper notare licet, quòd admodum incertum sup-
 ponant illi, qui dicunt, morem illum quotannis conve-
 niendi tantillum durasse, quamdiu vixerit filia. An ver-
 ba textus: *Statutum fuit in Israël,* glossam hanc ferant,
 videant illi, qui dicunt verba cit. non adhiberi, nisi cùm
 de more & consuetudine, si non perpetua, at diuturna
 saltem, agatur. 5. Fuit *Jephtha* vir pius. Resp. *B. Luth. in*
marg. Man wil / Er habe Sie nicht geopfert. Aber der Text
stehet da klar. So siehet man auch beyde an den Richtern
und Königen / daß sie nach grossen Thaten auch grosse
Ehorheiten begehen müssen / zu verhüten den leidigen Hoch-
muth. *Dn. Brent. quanquam Jephtha alioqui pius fuerit, ta-*
men fieri solet, ut etiam pii Zelò DEI, qui non est secundum
F
sci.

scientiam, turpiter errent. 6. *Jephtam* tamen maximè opere commendari 1. *Samuel. 12, 11.* ubi albo Redemptorum populo Israëlitico à DEO missorum insertus celebratur idem. it. *Ebr. 11, 32.* cum *Gedeone, Samsone, Davide, Samuele, Prophetis, Viris* sanè pientissimis, agmen ducit. Responsionem nobis mutuò elargientur Theologi. Dicent isti, locò quidem priori non tam Judices recensitos, quàm DEUM ipsum ob mirandas celebrari redemptiones: in posteriori verò fidem extolli *Jephtæ*, non quâ, quod voverat; servavit; sed quâ in DEUM relatâ nixus potentissimum est aggressus hostem. Hinc *Corn. à Lap.* in *b. l. nota secundò*, ait, *Apostolum hic propriè & primariò non texere catalogum sanctorum V. T. sed tantùm laudare & proferre heroës fidei, qui per fidem heroicam opera ediderunt. Nam alioqui constat Jephtæ latrocinio, Samsone & Rabab fornicatione, alios aliter peccasse.*

26. Latiùs singula poterant diduci. Sed discessus illum abrumpere jubet. Liberum sit cuivis arbitrium.

Melius svadentem libenter audiemus.



CO-

Coroll.

I.

Polygamia in veteri recepta Instrumento non videtur fuisse contra jus natura.

II.

Q. an homines ante Mosen legis planè expertes vixerint? non videtur.

III.

Resp. Ebræorum, quando à Regibus administrabatur, erat monarchica & quidem absolutè monarchica, ita ut Reges ἀνείτας, & in judiciis perinde ac in bellis gerendis (adde, si lubet, & curandis sacris) independenti à subditis potestate fuisse asserere non vereamur. Nec moramur eos, qui Reges Ebr. humanis constrictos vinculis dicunt, dependentes quippe à Synedriò M. & quidem adeò, ut & à dieti judicii Assessoribus vapulare, si quid commissum fuerit, potuerint. Quid si dicamus, Regum tempora Synedrii M. penitus fuisse ignara? Expirabit proinde laudatissima illa à Rabbinis aliisq; antiquitas, quando Synedrii originem à Mosis inde etate arcessere sagunt.

tagunt. Ejus qui natales ad Esræ aliorumq;
ex captivitate Babylonica reducum referunt
tempora, iis nos præbebimus socios. Loca no-
stra sententiæ obstare videntur manifestissima
v. g. Exod. 18, 21. Num. 11, 16. Deut. 17, 8.
seqq. Sed videntur. Quòd autem reverà non
obstant, explanabit, datà occasione, ipse,
cum DEO, conflictus.

F I N I S.



Coll. diss. A. 122, misc. 15